

Petrus de Vinea

*Ep. III 26 (Vellemus potius
tacere, quae loquimur...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 26 (Vellemus potius
tacere, quae loquimur...)*

luglio 1245

Regi Castellae, cognato suo, conqueritur ei de filio suo, qui furtiue recessit ab eo.

1. Vellemus potius tacere, quae loquimur, cum sit quodammodo de plus quam ciuili bello materia, dum alienae culpa dampnantes infamiam, genus nostrum utcumque notabile cernimus et, preter uerbalis plagae conuitium, quam aliis dampnantes infligimus, ex cuiusdam ydemptitatis lege, qua iungimur, in nobis relinquimus cicatricem. 2. Sed ipsius casus instantia suggerente, silentia rumpimus et ardui stili misterio Henrici primogeniti filii nostri nomen, nepotica uobis sorte coniuncti, a genere prorsus generoso degenerans et processus exponere cogimur, ac eiusdem ingratitude describere uitium, calami pungentis officio, quem nonnumquam cuiuslibet nota diffibulat, instanter urgemur. 3. Est etenim, quod ignominiosa relatione describimus, in populi conuersus infamiam et, quibus uirtutum speculum et morum norma fuisse debuerat, nunc ymaginarium uitiorum, nunc uulgare ridiculum publice predicatur, dum mandata nostra frequentia, quibus ipsum ex patris debito sepe pascebamus, obaudiens, dum honoris et loci, quibus in nostra curia fouebatur, oblitus, dum nec diuersorum more nobilium, quibus ex pretorii nostri culmine influitur, nec familiaritatis solitae, quae ipsum nostri lateris sepe participem faciebat, dignitate contentus, ad rebelles nostros et hostes, quibus potius ut hostis ob stare debuerat, quibus etiam ipsum, ut sicut debitum ab etate receperat, sic, si qua uirtus in ipso dormiret ex otio, armorum exercitio suffragante resurgeret, opponere stimulum nostra deliberauerat celsitudo, personae propriae fur factus et predo etate

succumbente malitiae fugiuitus effugit. 4. Et sic datus uulgo ludibrium, infectione suorum operum peruersorum cicatrices Augusti sanguinis ac regalis infecit. 5. Videat igitur excellentia uestra regia, si paternis meritis ista rependere filius, si auunculi beneficiis, immo patris, ista nepos debuit compensare. 6. Attendat etiam regalis industria, qualis euentus qualisque fidei tam enormis tamque rudis in iuuentute processus monimenta promittat in senio, qualis et quantae, si uas tenerum tot patris monita, tot auunculi beneficia continere non potuit, continentiae futurae presagia uetustas temporis prefiguret. 7. Ab ipsius denique fructibus manifeste cognoscitur, quale fuerit eius preconceptae uoluntatis initium, quod tam uilis finis explicuit, qualis eius pregnantis propositi rumor extiterit, quem partus tam fetidus, tam dolosus excludit. 8. Vt super hiis igitur mentem uestram, quae – cum ad utrumlibet sit auditus indifferens – sinistris forte relatibus rem aliter posset credere, quam ueritas protestatur, rumoribus abiectis adulterinis, ueritatis scopa mundificet,... et..., nuntios nostros latores presentium, ad uestram presentiam duximus destinandos, ut quantae dilectionis iudicia erga eundem filium nostrum magnificentia nostra semper ostenderit, quantum et qualiter ipsum benigne tractauerit, quantum per nos et nostros semper extiterit honoratus, quam acerrime etiam, quam latenter, a latere nostro, et quam turpiter presentiam subripuerit personalem, iidem nuntii nostri, tamquam eius hactenus in curia nostra continue participes et fideles interpretes status eius, regalem animum sufficienter informant.